DE ABORTU.

DISSERTATIO
INAUGURALIS GYNAECOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

AD SUMMOS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XV. MENSIS DECEMBRIS A. MDCCCLXVI

H. L. Q. C.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS WEGEHAUPT,

LUSATIUS.

OPPONENTIBUS:

R. SCHELLHAUS, MED. ET CHIR. DD.

A. WINKLER, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS F. W. JUNGFERI.

PATRI OPTIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Quamvis de abortu a viris doctissimis hanc usque ad aetatem variae sententiae diligenter et acute prolatae sint, tamen hac in commentatione tempus studiumque mihi consumendum esse putavi, quum vix ulla res tam digna videatur, quae iterum atque iterum describatur. Studiis gynaecologicis enim amore deductus majore, per duos annos exercitationibus clinicis obstetriciis interfui. Quamquam per menses postremos, quum in castra vocarer, ut munere, quod vocant, medici inferioris fungerer, ut in hac commentatione tantum diligentiae consumam, quantum et res tractata postulat et ipse mihi proposui, mihi concessum non erat, tamen spero fore, ut lector benevolus benignum harum primitiarum judicem se praebeat.

Omnes inter partes artis medicae vix ulla quae dignior occurrat, quae describatur quam ars obstetricia, quum quanta cum diligentia et cura natura impedimenta, quae vix circumiri posse videantur, et e medio tollat et processum normalem paullatim restituat, optime in illa intelligatur. Femina, cui datum est, ut fructum maturet, per varias graviditatis periodos, quam legitime et constanter natura leges omnes observet ipsasque res, quae forte artis obstetriciae remedia requirere videantur, removeat, optimum nobis exemplum praebet. Nam, quae ad organorum functionem vim perniciosam exercent, aliis sub vitae condicionibus alia atque permulta impedimenta occurrunt. Quare necessitas obtingit, ut quantacunque fieri potest cura et diligentia per graviditatem praesentem omnia incommoda atque pericula, quae et matri et foetui miminere atque instare soleant, a gravida depulsentur ac retineantur.

Quibus in periculis locum primum habet abortus, quem ut describamus, quibus in caussis positus sit, quomodo procedere ac progredi soleat, quaeque sint consecutiones, nobis proposuimus.

Intelligimus enim, ut brevi hic attingamus, quae postea accuratius exponantur, abortum adesse, si primos per graviditatis menses gravidam videmus justo prius fructum vel foetum haud maturum elidere. Primum quaestio exsistit, unde abortum originem capiat atque proficiscatur. Ut paulo

uberius de abortus caussis disseramus, videntur illae esse positae primum in ovo ipso, tum in matre. Sine dubio jam plurimi medici species abortus observaverunt, quae, quum iterum et saepius se ostenderent, quamvis caussae certae ac definitae perspici non possent, observanti maximas difficultates afferrent. Alii sunt arbitrati, abortus illos inde exoriri, quia corpori parum sanguinis adduceretur, alii persuasum sibi habuerunt, caussas in nervorum quadam commutatione esse positas, alii conjecturam fecerunt, uterum paulatim consuescere abortum facere. Itaque eadem varietas, quae in opinionibus valet, etiam in sanandi remediis conspicitur. In opinionibus enim medicorum, qui longe ante hanc nostram aetatem floruerunt, multae adsunt conjecturae, quae omnes plus minus eo spectant, ut pro caussa abortus commutatio quaedam in feminae organis genitalibus effecta, statuatur; pauci vero scriptores, quomodo abortus per ovuli commutationes ipsas adductus, et exsistat et procedat, accuratius describunt. Quum vero nullo modo negandum sit, singulas familias, quin etiam gentes totas, quae parva territoria locaque finibus angustissimis circumscripta inhabitent, quum singuli semper inter se matrimonia paciscantur neque unquam viros feminasve aliis ex gentibus familiisve admittant, paulatim et membris et valetudine fieri debiliores et postremo omnes ad unum mori, et quum perquisitionibus per saecula diligenter institutis satis comprobatum sit, a majoribus ad posteros morbos propagari, maximo jure contendi poterit, jam in ovo feminae, quod semine virili attingatur, abortus caussas esse quaerendas. Quomodo enim matris organa ovi commutationes irregulares paulatim aut adaugeant, aut omnino e medio tollant, aperte et acute definiri non potest, quum ad hanc usque aetatem perquisitiones satis accuratae nondum prolatae sint. Jam Hippocrates narrat, suo tempore saepius esse observatum, sanguinis morbos esse hereditarios. Re vera multis in morbis, ut in scrophulosis, tuberculosis, carcinomatosis, arthriticis, rheumaticis, anaemia, chlorosi, plethora, aliis tristis illa heredi-

tas cerni cognoscique potest. Ad sententiam illam comprobandam morbus syphilis argumenta copiosissime praebet. Si porro per se constat, ovo per illud tempus, quo viae, in quibus nutrimenta adducantur, non satis firmatae sunt, jam multa pericula, ne bene procedat, obstare solere, facile est intellectu, multo magis pericula illa adaugeri, si jam ab initio in ovo substantiae insunt remanentque, quae vim quandam pestiferam in organismum illius exerceant. Nam quamvis hodie in re ipsa, quomodo substantiae illae alienae ovo adducantur, magna jam sit obscuritas, quoniam, quae in universum de fructus conceptione explorata sint, jam multum dubitationis habeant, totaque illius materia cognitio maximis difficultatibus obstructa sit, tamen in morbis quibusdam perquisitionibus accuratissimis exemplisque innumerabilibus pro certe confirmatum est, infectione quadam ovi caussas abortus exsistere. Quae sententia eo probabilior fit, quo accuratius ad syphilin respicimus, quem morbum caussam esse principalem abortuum, hac in commentatione uberius exponemus. Observationes recentiores, a Virchovio institutae, veterem illam, sententiam de propagatione syphilitica, quam John Hunter et Ricord acceperunt, — arbitrantes, contagionem syphilis constitutionalis esse negandam et primarium tantum ulcus syphiliciticum contagiis nocere, refellerunt et refutarunt, ita ut Ricord Illust. ipse postea concederet, a viro ex syphili constitutionali laborante, etiamsi in illo nulli affectus syphilitici genitalium conspicerentur, in fructum affectiones syphiliticas posse traduci. Ex Virchovii observationibus, quibus comprobatur, omnia deposita syphilitica, ab induratione ulceris primarii usque ad momentum degenerationum syphiliticarum ac neoplasmatum singulorum procedentia, semper una eademque esse, facile quis possit ad opinionem perduci, quum uterus maxime prae ceteris per graviditatem feminae in actione versetur, in eumque igitur primum deposita syphilitica se exendant, ovum ab illo demum veneno syphilitico infici. Quorum in sententiam discedere non possum, et potius viros

doctissimos illos sequor, qui ovum via recta semine syphilitico viri infici affirment, quum experientia doceat, feminam, quae bona valetudine utatur atque a viro syphilitico fructum conceperit, per graviditatem ipsam nulla contagii vestigia praebere, quamvis quem pariat, infantem syphili esse maculatum videamus. Si tamen contagia feminae exsistunt, illa non prius, quam graviditate jam finita in lucem prodeunt, id est temporis longiore spatio intermisso, quod satis videtur comprobare, necesse esse, ut ovum prius illum usque ad gradum veneno infectum sit, ut ad matrem ipsam sanguinis profusione contagionem transferre possit; altera ex parte nullo modo explicari poterit, cur mater, utero jam ab initio affecto, legitimo tempore non reddatur syphilitica. — Perraro casus intercidunt, quibus maturus fructus editur; plerumque enim embryo moritur et fere putidus eliditur. Quantum vero aliae discrasiae, quae forte in viri sanguine praevalent, ad abortum possint conferre, quum observationes accuratiores desint, pro certo affirmari non potest; sed verisimile videtur, etiam in illis pariter atque in syphili caussas abortus habitualis esse positas. In placenta ipsa plerumque morbi nostri species observantur, quae, quum impediant, quominus nutritio satis sufficiens ovulo adducatur, paulatim efficiunt, ut ovum moriatur atque elidatur. Sic exsudata inflammatione exorta facile vasa premere eorumque actionem prorsus impedire possunt; quae inflammatio, quum ad ovi involucra porrigitur, haud raro illorum intumescentiam atque degenerationem adducere potest; liquor amnii justo magis adauctus, quominus ovum crescat, impedimento esse aut vitiose quum sit intermistus perniciosam quidem vim ad illud conservandum exercere potest; tum vero funiculus umbilicalis haud raro fit, ut ita sit embryoni circumfusus, ut in illo sanguinis circulatio, quae est necessaria, impediatur; quin etiam ita implicatus atque obstrictus interdum ille obvenit, ut sanguinis cursio omnino interrupta observetur; deinde illius vasa haud crebro obliterata inveniuntur, quare, quominus sanguis ad embryonem adducatur, impedimentum

efficitur; atque in illo denique varicae aut aneurysmata interdum exoriuntur, quae, si forte dirumpuntur, embryonis mortem efficiunt.

Sed abortus caussae gravissimae ac principales in matre ipsa maximeque in utero, organo illo, quod in fructu concipiendo maximam partem habet, positae sunt. — Saepissime enim jam est observatum, feminas, tota corporis constitutione pletorica instructas, ad abortum inclinare; itaque plerumque feminae, quae constitutione pletorica instructae sunt vel utero utuntur, cujus musculi justo robustiores sunt, ante tempus justum ac legitimum in momentum parturientium transeunt et fructus elisionem praematuram conqueruntur. Si enim uterus in actione sua impeditur, neque vires, quibus instructus est, satis suppetant, facile fieri potest, ut fructus, cui vasa sanguinea non satis nutrimenti adducere possint, breviore longioreve temporis spatio intermisso moriatur et denique elidatur; — id quod in clinico obstetrico observatione frequentiore cognitum habemus in feminis, quae constitutione debili usae sint aut ex totius organismi sensibilitate, valde adaucta laboraverint. Inclinationi illi, abortum faciendi, natura datae casus innumerabiles atque fortuiti accedunt; qui partim in traumatico quodam effectu, partim in uteri forma situque mutato, partim in morbis illius positi, frequentiam abortuum valde adaugent. Nam diuturna fere cognitione experti scimus, feminas, quae onera graviora ferant aut in altius extollant, ita ut aegrotae vires quasi exhauriantur et necessario concussio quaedam totius corporis exsistat, quaeque ictus, plagas, laesiones abdominis, sive currendo, sive saltando, sive cadendo perpetiantur, nec minus quae e tussi graviori vomituque vehementiori laborent, facile eo debilitatis perduci, ut fructum elidant, quum abdominis musculi hac in caussa vi subita atque nimia uterum premant et ratione quadam mechanica, ut contrahatur, efficiant. Neque silentio tegere possumus, feminas, cupidine quadam placendi adductas, corpora sua ita coërcere, ut uterus, e situ suo normali depulsus, inutilis reddatur ad fructum

excolendum et confirmandum, quia sanguinis circulatio in utero compressione illata impeditur, — id quod etiam morbi quidam cordis, pulmonum, hepatis facile adducunt, quibuscum suppressio venarum magnarum cavi abdominis solet esse conjuncta. Omnibus in casibus modo enumeratis hyperaemia vasorum sanguineorum observatur, quae uterum placentae conjungunt quaeque propter levitatem ac tenuitatem facile dirumpuntur atque collectione sanguinis profusi ad ovum elidendum conferunt. Qua in re incitatio quaedam systematis nervorum, quae ex animi affectibus majoribus aut morbis ex febriculosis aut coitu justo frequentiore atque vehementiore aut usu remediorum, quae vocantur drastica et emmenagoga, comparatur, haud parvi momenti est. Deinde uterus ipse neoplasmatis vitiosis, ut exempla adducamus, fibromatis, polypis, aliis, excavationem suam ita potest deminuere, ut foetus, quominus modum in naturalem adaugeatur, prorsus impediatur. Alia ex parte uterus indigere quidem potest neoplasmatis illis, sed inflammationibus jam antea perfectis facile fieri potest, ut ita sit pelvis partibus vicinis coalitus, ut justam non possit recipere extensionem. Denique deminutio voluminis in nimia ovuli progressione haud raro caussas habet, sive hydrops ovi adsit, sive duo triave ova uno eodemque tempore fecundata sint; Jamjam restat, ut abortus caussae adducantur, quae uterum, quum via recta incitent, cogunt, ut per reflexum, — quod vocant, contrahatur. Ita fieri potest, ut in portione vaginali inflammationes granulosae exulcerationesque efficiantur, quae incitationem quandam mechanicam exercent. Quae incitatio simili modo arte effici potest, sive frictione, sive aquis frigidis inspersis, sive spongiis compressis in portionem vaginalem illatis, sive aliis rebus via recta in uterum per orificium inductis. Pariter uterus modo reflectorico, ut contrahatur, adduci potest, si vesica urinaria, vel rectum, vel columna vertebraram, vel mammae vi quadam aliena incitantur. Denique memoratu dignum restat, remediis internis illatis, in quibus locum primum teneat Secale cornutum, uterum contrahi atque abortum effici posse. —

De symptomatis naturaque morbi.

Omnes fere feminae, quae ad abortum faciendum inclinant, multo antequam abortus ipse efficitur, quasi per praecursores quosdam certiores fiunt, quid mali sibi immineat. Quae res antecedentes vel ad statum communem corporis pertinent, vel potius ad organa, quae in cavo abdominis in actione versantur, vim suam exercent. Quod ad rem loco primo commemoratam, feminae se languore lassitudineque maxima affectas esse profitentur; quare illae propensae proclivesque sunt ad somnum gravem capiendum atque, ut ipsae narrant, in omnibus artubus membrisque sensu quodam gravitatis torquentur, proinde ac si pedes cruraque quasi plumbo onerata essent. Qui languor paulatim ita crescit et adaugetur, ut forma speciesque externa aegrotae satis indicent observanti, illam esse animo irritato ac morosam. Tum oris color exsanguis, quem femina praebet, totusque habitus male affectus facile ad opinionem adducunt observantem, aegrotationem in profundo penitus esse sitam. Mox enim aegrae quaerimonias jactare incipiunt, sese in cavo abdominis doloribus cruciari, pressura quadam, in regione uterina plus justo agente cogi ad vesicam exonerandam neque tamen plus quam singulas guttas in urina reddenda se posse emittere. Qui dolores simillimi sunt illis, quos aegri ex catarrho vesicae acuto laborantes, se sentire profitentur. Paulatim sensus ille pressionis tales in dolores vertitur, quales feminae, quae jam fructum quando ediderint, affirmant, valde similes esse illis, qui vocantur dolores ad partum. Quo propius aegrotae tempus abortum faciendi accedit; eo largiores redduntur profusiones, quae ex vagina emissae primum aquae similes sunt, tum vero pituitam crassiorem ostendunt. Quae profusiones paulatim in colorem sanguineum vertuntur ita ut facile fiat ad intelligendum, foetum jam esse mortuum. Pressura illa, quam aegrotae antea se in abdomine sensisse, sunt professae, nunc non magis observatur gravitatem quandam motumque in cavo

pelvis efficiens, sed potius enarrant feminae, se sensu quodam esse affectas, proinde ac si in abdomine corpusculum quoddam abscondant rotundum ac firmum, quod, quum incedant, vel consistant vel quiete cubent, situm suum sponte commutet. Quae observatio haud dubie ea nititur in caussa, quod uterus tempore illo majorem mollitiam mobilitatemque assecutus est. Res magni momenti est, ut qui in abortu tractando versatur medicus, ad sanguinis profusiones diligenter respiciat, quae aliis in morbi spatiis aliae sint et, quo majores frequentioresque exsistant et quo validior vel debilior aegrotae constitutio, sit, plus minusve vim perniciosam exercent. Profusiones enim sanguinis semper abortui praecedunt quidem, sed cave putes, ex illis semper conjecturam fieri posse, jam abortum intrasse, quum feminae extent, quae per totum graviditatis tempus sanguinem menstrualem modo solito emittant, aliae, eaeque illae, quae antea nunquam menstruaverint, per graviditatem tantum menses praebent. Quo in casu illae inclinationem tantum ad abortum faciendum observanti ostendunt. Interdum fit, ut sanguinis profusiones subitae inopinataeque exoriantur, praesertim si vis quaedam mechanica utero accedit, ita ut gravida, quamvis ante momentum illud jam prospera valetudine usa sit, magnam sanguinis copiam e genitalibus emittat. Vulgo autem per primos graviditates menses sanguinis copia emissa valde exigua est; feminae enim, jam securae de valetudine sua dormitum se conferunt, ne minimum quidem sanguinis profusi videntes, neque prius somno excitantur, quam major sanguinis copia exiit atque uterus coagulis, quae intus comparantur, incitatus, contractiones perpeti et, sanguine larguis effluente, abortum facere incipit. Qua in re necesse videtur, ut potius ad vasa materna, quam quae vocare mihi liceat foetalia respiciamus; his enim ad sanguinis profusiones vel augendas vel diminuendas vis exigua tantum adscribi potest, quoniam experti scimus, haud raro jam particulas a placenta abscessisse neque inde ullum in periculum fructum esse adductum. Jam enim primos per

menses graviditatis uteri vasa capillaria valde extenduntur, pariterque vasa, quae juxta uteri parietem interiorem sita sunt, eo usque plenitatis ac crassitudinis perveniunt atque adaugentur, ut, comparata vasibus, quae decidua ovumque inter se conjungunt, quaeque vasa foetalia vocantur, magna et perspicua in oculos occurrant. Quam ob rem quod ad prognosin et therapiam attinet, res magni momenti est, quanta sit copia sanguinis profusi et prae ceteris, ut ad vasa materna respiciamus, valde necesse videtur. Quo enim major illorum numerus atque crassitudo, aut quo celerius vehementiusque diruptio efficitur, eo profusius sanguis exit inque eo majus periculum gravida adducitur; altera quidem in re videmus sanguinem effusum omnio intra uterum remanere, altera illum percipimus extrorsum pulsum. Si enim vasa vel extensiora vel frequentiora re quadam forte dirumpuntur, paulatim sanguis effusus inter placentam parietemque uteri viam sibi patefacit ibique iterum, ut novae ac recentes sanguinis profusiones exoriantur, efficit. — Inde fit, ut, quum uteri parietes acriter resistant, sanguis tonum tam vehementem assequatur, ut per cervicem uteri exitum sibi paret, necesse sit. Si vero vasa minora numeroque exigua dilacerata sunt, sanguinis tonus non est tam vehemens, ut placentae partes ab uteri parietibus possint dissolvi; tum sanguis emissus facile coagulatur, et quum vasa aperta coagulis obstruantur, et retrahantur, periculum, quod fructus vitae intenditur, propulsatur. Postea hae partes coagulationis partim absorbentur partim in substantiam quadam fibrinoideam vertuntur, quae vestigia, quum exigua sint, etiam postea vim perniciosam ad uteri functiones exercere desinunt. Si sanguinis profusiones per longum temporis spatium diuturnae fuerunt, paulatim uteri contractiones efficiuntur, quae, quo celerius, vehementius, continentius alia aliam excipiunt, eo celerius uteri canalem cervicalem amplificant, orificium uteri aperiunt profusionesque eo largiores adducunt. Vis vero impetusque contractionum dependet a momento graviditatis et alios per menses alia est; sic per

primos graviditatis menses, quod parietes uteri nondum satis explicati atque expositi sunt, actio musculorum illorum valde exigua est totusque abortum faciendi processus retardatur, rarissime tantum contractiones tantam vim impetumque assequuntur, ut pro veris ad partum doloribus haberi possint. Quin etiam caussae casusque omnes per totum illud tempus plerumque tam parva sunt, ut feminae, quamvis se in hypogastrio sensum quendam pressionis habere profiteantur, multumque sanguinis effundant, nihil mali suspicentur et haud raro, quum foetum postea elisum propter formam rotundam sanguineque circumfusam pro massa sanguinis coagulati habeant, se gravidas fuisse omnino negent. Si graviditas jam tenet per quatuor menses, abortus, qui exoritur, omnes fere species, quae in partu justo faustoque observantur, se praebent. Nam pariter atque illo in casu ovi involucra satis parata sunt, ut dissiliant ac dirumpantur; quo facto liquor amnii defluit foetusque eliditur. Vulgo per tempus illud graviditatis nihil refert, quem situm foetus retineat, quum illum vel caput vel nates vel aliam corporis partem prima in lucem emittere observemus. Extremum illud est, ut de temporis spatio, quod abortus procedens, absumat, pauca afferamus. Per primos quidem graviditatis menses abortus vulgo, paucis horis interjectis, ad exilum usque adducitur. Sed interdum casu fit condicionesque exsistunt, quae ut dies hebdomadesve consumantur, priusquam abortus prorsus consectus est, efficiunt. Quin etiam observatione frequentiore cognitum habemus, species signaque abortus instantis, quae manifesta ac perspicua essent, iterum evanescere et, proinde ac si ab actione intermissionem fecerint, longiore brevioreve temporis spatio interjecto redire atque celerrime rem interruptam ad finem adducere. Quam diuturnitatem longinquitatemque abortus vim valde perniciosam ad matris sanationem valetudinemque futuram exercere, satis elucet. Nam sic quoque feminae, quae prospere abortu defunctae sunt, valde se confectas esse conqueruntur et longissima quiete indigent, priusquam faciei colorem verum

speciosumque recuperant. Quid mirum igitur, quod res consequentes multo graviores redduntur, si feminae per complures hebdomades vires suas conficiunt et continuis largisque sanguinis profusionibus gravissimum in periculum anaemiae adducuntur. Quod vitae discrimen valde adaugetur, si aliae res perniciosae abortui consociantur. In quibus primum commemoramus gravissimos hos morbos: variolas, scarlatinam, typhum, choleram asiaticam, alios. Tum in morborum speciebus, quae, abortu confecto, sequi solent, chronicas illas uteri affectiones ducimus, quae haud raro sterilitatem aut inclinationem, ut iterum atque iterum abortus exoriatur efficiunt feminasque per totam vitam gravissimis doloribus cruciant. Potissimum enumeranda sunt flexiones versioneque uteri, catarrhus et hyperaemia tunicae mucosae uteri, quibus omnibus plus minus blenorrhoeae conjunguntur, quae exulcerationes, quin etiam carcinomata facile producere possunt.

Diagnosis.

Quum diagnosis graviditatis jam ipsis in posterioribus mensibus multis difficultatibus obstructa est, tum diagnosi abortus multo majores difficultates praebet, quare saepissime conjectura tantum ex objectis, quae observantur, intelligere possumus, abortum imminere. Id quod haud dubie inde efficitur, primum quod, si de abortu exploratio agitur, graviditas illa adest, quae, quum paucos tantum menses diuturna sit, pro certo nullo modo constitui potest, tum, quod conclusiones nostrae in abortu dignoscendo potissimum in sanguinis profusionibus positae sunt, quas constat et multis et aliis causis atque ipso ex utero non gravato originem capere posse. Quum vero unusquisque satis superque intelligat, necesse esse, ut, qui diagnosin de abortu recte statuere sibi proposuit, antea exploratum habeat, utrum graviditas omnio adsit necne, nobis licitum concessumque sit, species, caussas, signa, quae vulgo adducuntur, quibusque graviditas firmatur et comprobatur, hac in commentatione

omittere exque illis ea tantum accuratius exponere, quae a signis vulgaribus discrepant et quum videantur abortum indicare, commemoratu potissimum digna sunt. Sic praecipue per quartum quintumve graviditatis mensem, si abortus gravidae instat atque imminet, uteri pars inferior paulatum extensa quidem, sed solito mollior deprehenditur, quare digiti explorantes haud raro sensu tactuque ovulum adesse comprobant. Quae res manifestissima redditur, foetu mortuo, quod tum ovulum integrum partem inferiorem uteri prorsus explet. — Deinde, ut jam brevi supra attigimus, sanguinis profusiones res sunt magni ponderis, si quis diagnosin ad abortum imminentem ponit. Quam ob rem inprimis nobis datum est, ut accurate perquiramus, utrum sanguis ex uteri cavo ipso defluat, an forte ex vasibus minoribus vaginae vel cervicis uteri diruptis originem capiat. Deinde, faciamus, ipso ex uteri cavo sanguinis illam profusionem profisisci, necesse erit, demonstrare, illam etiam re vera in abortu instante positam esse. Neque difficile occurrit speculum adducenti cognitu, vasa minora utrum in vaginae plicis an ad uteri orificium, aut ex erosionibus perruptionibusque spontaneis aut ex polypis aliisque caussis sanguinem emittant, quoniam, ut satis inter omnes constat, ipsam per graviditatem congestiones ad partes illas impetus vehementiores efficiunt. Qua in exploratione unum illud cavendum est, ne, qui speculum adhibeant, illo in inducendo extrahendove justo vehementius se gerant, quum facile effici possit, ut irritatione, quae necessario illis efficiatur, abortus possit adduci. Res tractata multo majore in difficultate versatur, si nobis datum est dijudicare, utrum sanguis ex orificio externo defluens, certe ex ipso uteri cavo profisiscatur an ex cervicis tantum parietibus originem capiat. Si quidem Scanzonius Ill. affirmat, vagina cerviceque uteri sanguine recte expurgatis facile posse intelligi, ex cavo ipso uteri sanguinis profusiones exire, quod panicula lanata in uteri cervicem inducta ibique longius temporis remanens, in superiore sola parte sanguine perfusa atque madefacta

sit, — observatio illa viri Doctissimi in dubium mihi videtur facile posse revocari, quum fieri non possit, ut tam prorsus cervix sanguine eluatur, ut ne vestigia quaedam sanguinis remaneant, quia, fingamus, paniculum lanatum, quam celerrime fieri possit, induci, tamen tantum temporis spatium in actione illa perficienda consumitur, quantum sufficit, ut copia quaedam, quamvis exigua facile in cervicem intret. Quibus accedit, ut exploratio illa, qua diagnosis acuta ponatur, tot tantaque secum habeat pericula, ut potius illa abortus, qui forte jam retineri atque impedici potuerit, videatur esse adductus. Nobis quidem persuasum habemus, neminem quam distincte se demonstrare posse arbitretur, feminam, quae ad primos graviditatis menses provecta sit, solo ex utero sanguinem illum emisisse, uteri cavum solum propriumque sanguinis illius esse fontem locumque exordii pro certo affirmare posse. Nam interdum casu fit, ut ad foetum polypus sit, tum haud raro accidit, ut menses redeant, denique congestiones quaedam uteri praevalere possunt, attamen notas proprias, quae sanguinis profusionibus adhaerent atque ad abortum spectant, satis comprobatas habemus. Quin etiam ipsae uteri contractiones certis finitisque intervallis praetermissis redeuntes, quamvis perspicuae manifestaeque appareant, tamen a doloribus, quos menstruatio efficit, acute non possunt distingui. Tum demum, quum uterus formam recipit, quam observanti solet praebere, si paratus est ad fructum edendum, pro certo affirmare diagnosinque statuere poterimus, puerperam abortum esse facturam, si orificium paulatim extenditur atque mollius fit, tum digitus explorans, per cervicem uteri intrans sensu percipere potest fructum esse oppositum, denique, si qui existunt dolores, quos vocamus ad partum, volucra ovi quasi vesicam quandam efficientia, conspiciuntur compressa atque in globi formam transeuntia cervici propius admota. — Multo facilius diagnosis ponitur, si de posterioribus graviditatis mensibus agitur. Nam, quae nunc incipiunt uteri conctrationes, quum et vehementiores sint et tempore certo

intermisso rursus revertantur, haud facile doloribus, qui in menstruatione positi sunt, possunt confundi, sed potius speciem perspicuam dolorum illarum, quos in fructu edendo gravidae prae se ferunt. Puerperae enim dolorem vehementissimum, qui ab osse sacro paulatim ad symphysin ossium pubis radiatim procedit, se sentire profitentur, atque, si uterus jam eo usque extensus est, ut basis illius supra symphysin ossium pubis perspiciatur, contractiones illae palma manu per abdomen explorari possunt. Una cum contractionibus illis portio vaginalis plana redditur, orificium in infundibuli formam redactum dilatatur ejusque margines emolliuntur. Quo ejus in tempore exploratione per matris tegimina stetoscopo instituta pro certo affirmari potest, utrum foetus jam vivus sit an mortuus. Quarto circa mense graviditatis praetermisso foetus non editur, nisi una ovuli involucra dirumpuntur. Quapropter, qui per spatium illud temporis ad abortum incipientem animadvertunt, et in vagina et in cervice uteri praeter fusta sanguinis coagulati plerumque particulas involucrorum ovuli diruptorum inveniunt. Si igitur, ut brevi quae supra diximus, complectamur, sanguinis profusio per longius temporis spatium obduravit et uteri contractiones eo usque processerunt, ut orificii commutationes, modo descriptae, illis efficiantur; — si porro singulae particulae membranae diruptae obveniunt, sine ulla dubitatione diagnosis ad abortum statui poterit. Praeterea haud raro accidit, ut fructus multo antequam species, quae abortum indicant, perspiciuntur, jam mortuus sit. Qua in re nullo modo nisi ex symptomatis, quae potius totum ad corpus spectant, conjecturam facere diagnosinque ponere licet, abortum imminere. Sic gravidae fructu mortuo, quae vim suam totam ad valetudinem exercent, hasce species signaque praebent: Aegrotae conqueruntur, se in dies magis magisque fieri confectas languoreque per totum corpus effuso cruciari, tum colorem solito palidiorem speciemque faciei luridam cadaverosamque prae se ferunt; quibus signis accedit, ut oculi sclerotica in livi-

dum quendam colorem transeat atque pariter palpebrarum intumescentia quaedam oedematosa exoriatur; praeterea in abdomine extremitatibusque inferioribus sensus quidam proprius frigoris ab aegrotis percipitur. Si jam antea aegrota senserat, fructum in utero circummoveri, nunc paulatim illae motiones rariores fiunt atque postea prorsus evanescunt; quo in loco, feminae se in abdomine corpusculum quoddam habere jactansque percipiunt et profitentur.

Qui cum casus intercidit, pulsus ictus valde sunt adaucti, atque ventriculi intestinorumque functiones in pejus vertuntur, ut aegrotae cardialgiis vehementissimis vomituque saepius redeunte vexentur aut ex diarrhoea justo nimia aut obstructione pertinaci laborare incipiant. Haud raro accidit, ut casibus modo descriptis, difficultates omnes illae adjungantur, quae in cordis palpilatione accelerata spirituque intercluso et arte meante positae esse solent; quae caussae casusque in dies magis magisque adaugentur et ad gravidae valetudinem vim valde perniciosam adhibent, denique interdum sex octove hebdomadis demum intermissis, species signaque illa morbi incerti atque obscuri plane et perspicue ut signa abortus instantis intelliguntur.

Postremo jam reliquum restat, ut caussas commemoremus, quae, postquam ex feminae vagina sanguinem coagulaque profluentia videmus, quamvis pro certo affirmare non possimus, omnino graviditatem valere, nos facile commovent, ut ad abortum instantem conjecturam faciamus.

Casus haud raro intercidunt, ut feminae, speciebus modo descriptis affectae, ipsae quidem, se forte gravidas esse posse, profiteantur; quum vero, quae enarrant, se antea semper justo tempore condicionibusque sub vulgaribus fructus edisse, nullum fere signum prae se ferant, ex quo concludi possit, modo quodam statum graviditatis esse interruptum, facile in animo nostro suspicio commovetur, uterum illarum proprio quodam morbo, minime ad abortum vero spectante, esse affectum; tamen praeter omnium expectationem accidit, ut subito ac repente illae abortum faciant. Ad rem

nostram confirmandam ac stabiliendam necesse erit, ut potius nobis in memoriam revocemus, utrum per tempus praemissum aegrae menstruationes semper justo tempore exstiterunt, necne, atque in therapia adhibenda semper magis placebit, ut sententiam jam comprobatam habeamus, aegram esse gravidam, quam ut pluribus explorationibus manu confectis illam vexemus.

Quamvis quidem sine dubio constet, perquisitionibus microscopis demonstrari posse, in sanguine emisso partes fibrosas et membranaceas inesse, tamen omittendum non est, etiam sanguine in menstruali similes quasdam substantias haud raro inveniri.

Quam ob causam datum videtur, ut qui hujusmodi casus curandos suscipiunt, potius ad symptomata objecta respiciant; neque aliter nobis concessum erit, ut certam conjecturam ad abortum instantem faciamus, nisi sanguinis profusio per longius temporis spatium obdurat aut si pressura quaedam ad partes inferiores exercetur, aut si, quas supra commemoravimus, commutationes uteri portionis vaginalis conspiciuntur.

Itaque satis manifestum apparet, si quis diagnosin satis certam ac distinctam statuere sibi proposuit, antea ut organa interna genitalium jam sint bene accurate observata, valde esse necessarium. Nam solae sanguinis profusiones, ut res dijudicetur, non suppetunt, quum experti sciamus, interdum residua quaedam abortus prioris jam in utero remansisse. Sic Breslau vir Ill., in actis illis, quae inscribuntur »Wiener Medizinische Presse« casus quosdam abortus imperfecti describit. Feminae enim, ut ait vir doctissimus, quae, quum per hebdomades mensesque nimiis sanguinis profusionibus vexarentur, ita ut ex anaemia quam maxima inciperent laborare, inque maximum periculum et ad extremum paene vitae discrimen adducerentur, brevissimo temporis spatio interjecto ovulorum residius, quae utero jam adhaerent, remotis, ad valetudinem bonam sunt revocatae, haud raro, ut virum doctissimum Breslau audiamus, obtigit necessitas,

ut uteri cervice, ne incerta restaret exploratio, vel spongiis compressis injectis vel ipsis incisionibus extenderetur. Cujusmodi casus, ut per se satis constat, diagnosin eo difficiliorem reddent, quo brevius per temporis spatium graviditas obduravit. Quae quum ita sint, satisque comprobata rebus jam supra uberius commemoratis, ubi de abortu mentio facta est per primos graviditatis mense, adducto res haud parvi momenti sunt habendae, quas ipsae gravidae earumque proximae familiaresque enuntiant, quum illis haud dubie, — id quod forte suspicati sumus, — abortum jam esse perfectum, comprobetur, auxiliumque manuale, quoad inferri potest, requiratur.

Prognosis.

Si omnia signa atque species abortus imminentis satis accurate sunt distincta, facile erit intellectu, quem ad exitum abortus progressurus sit, et quot quantaque pericula futura sint, in quae forte gravidae adducantur. Sine ulla enim dubitatione morbi exitus inter se valde diversi et in caussis diversis, quas jam supra commemoravimus et in symptomatis, quae per morbi spatium quotidie variant et commutantur, denique in graviditatis tempore longiore brevioreve positi sunt. Quapropter, si inde abortum exstitisse scimus, quod aegrota aut jam antea per longius temporis spatium morbis gravioribus affecta erat, aut solo ex utero dolores malaque chronica senserat, periculum adest, ne abortus exitus vim perniciosam ad gravidae valetudinem adhibeat. In partem contrariam, quae bona atque integra valetudine utuntur, feminae neque abortu ipso neque doloribus, qui consequuntur, valde vexantur. Quae quum ita sint, observatione frequentiore cognitum habemus, abortum, cujus caussae sitae sint forte in metritide, summum in vitae discrimen matrem adducere solere. Quum enim uteri inflammatio, quam contractiones per hoc tempus exsistentes, facile adducunt, paulatim ad partes vicinas quoque extendatur ipsumque peritoneum, in quo primum peritonitis cir-

cumscripta, tum peritonitis profusa exoriantur, afficiant, plerumque, quem morbus habiturus sit, exitum fore letalem divinare possumus. Neque minus, quorsum abortus evasurus sit, veremur, si jam antea puerperae vires morbis confectas et exhaustas esse scimus; qua re inter caussas, quae e. g. morbum typhum certe exitum ad letalem adducant, etiam abortus per morbi illius spatium accedens, haud injuria habetur. Sed cave putes, abortum, quod prima symptomata periculum instans indicant, necesse esse, re vera obvenire; nam experti scimus, per graviditatem, quamvis jam uteri contractiones adsint orificiumque se praebeat apertum, tamen inclinationem abortum faciendi praesentem interdum ita posse retineri, ut foetus vita bene prospereque procedat. Qua in abortus specie propria res magni momenti est, quotum usque ad momentum graviditas jam processerit; unusquisque enim satis intelliget, primos per graviditatis menses caussas valde exiguas jam satis posse conferre, ut ovulum commutetur et, quominus illud justo crescat, quum per tempus primum vincula, quibus conjunctum sit, facile disturbentur, impedimenta afferantur. Si per tempus descriptum quae enumeravimus symptomata, in lucem prodeunt, pro certo affirmari potest, foetum nondum retineri posse, quum ovulum moriatur mortuumque longiore brevioreve temporis spatio interjecto didatur. Postquam vero complures jam per menses graviditas obduravit, quum vasa latius extensa sint placentaque majorem ambitum recipiat, uterus ovulo tam arcte conjunctus est, ut res multo graviores, quibus uterus ab ovulo sejungatur, requiruntur, neque contractiones profusionesque sanguinis, quamvis satis perspicuae, suppetant, ut tantam vim exerceant, quanta re vera abortus efficiatur. Quae quum ita sint, sanguinem extravasatum non tam profusum, ut ovuli commutatio efficiatur, absque utero illud sejungant, esse debere, tum retentionem foetus formis uteri positionibusque jam praesentibus multo difficiliorem reddi, quin etiam prorsus impediri posse, ex rebus, quae supra inter symptomata caussasque abortus enumeratae

sunt, facile intelligi potest. Neque si satis constat, foetum jam esse mortuum, caussasque inde datas esse, ad uterum contrahendum, jam graviditatem remanere posse, credendum est. Interdum quidem fit, ut, sive uterus parum incitatus sive illius musculatura non satis exculta sit, ut abortus momentum jam ad longius temporis spatium differatur; sed vulgo prognosis adversa erit, quia profusionibus diutius obdurantibus et putredine, quae paulatim ovulum ejusque anexa capit, magnum in discrimen vitae gravida adducitur. Profusiones ut paulo uberius describamus, per primos graviditatis menses minus perniciosae solent esse, nisi impedimenta quaedam mechanica vel pathologica, ut ovuli elisio retardetur, efficiunt. Maximo vero in periculo gravidae versantur, si per menses posteriores graviditatis profusiones illae exsistunt. Per illud enim tempus placenta paulatim sejungitur vasaque majora alia post alia sanguinem emittere incipiunt, dum uterus ipse nondum satis firmus validusque est, ut et fructum celeriter elidat placentamque solvat et postea vasorum parietes apertos iterum concludat. Quare efficitur, ut plerumque, quamvis fructus placentaque prorsus sunt elisa, etiam per longum tempus profusionibus continuis gravidae status in pessimum vertatur. Jamjam restat, ut pauca de consecutionibus afferantur, quae abortu jam confecto obvenire solent. Sunt feminae, quae abortum iterum atque iterum fecerint, tamen prospera valetudine corporisque firmitate utantur; sed haud raro accidit, ut morbos chronicos, qui multis annis demum post abortum confectum exoriuntur, ex uteri parenchymatis affectionibus vel commutatione formae situsque illius originem traxisse, multis annis interjectis plane et perspicue intelligamus. Quae observatio uteri in natura atque constructione continetur. Necesse enim est, ut uterus, qui tam longe extendatur illam ad altitudinem adscendat, quam natura partubus in justis efficere et adducere solet.

Sola enim altitudine uterus ita firmatur, ut, quam antea fecerit, progressio iterum priores ad formas vertatur. Si

igitur per tempus illud impedimenta exstant, quibus, — id quod in abortu fit uteri progressio retinetur et coarctatur, fieri non potest, ut vires, quae musculos validiores idoneosque ad contractiones reddant recuperet. Multo frequentiores in morbis, qui abortum excipiunt, genitalium aegrotationes chronicae animadvertuntur, e. g. commutationes formae situsque uteri, secretiones tunicae mucosae, quibus plerumque exulcerationes adjunguntur; tum singulis locis hypertrophiae exoriri possunt, denique etiam ut neoplasmata maligna exsistant, fieri potest. Quo crebro fit, ut inclinatio ad abortum habitualem tanta evadat, ut tempore futuro ovula nullo modo ad momentum maturitatis pervenire possint. Tamen concedendum erit, jam primum abortum in chronica illa uteri affectione positum esse posse, ita ut, qui sequuntur abortus, potius ex uteri illa anamolia, quam primo ex abortu videantur originem cepisse.

Therapia.

In abortu curando prae ceteris videtur esse necesse, ut respiciamus, num quae propensae ac proclives sint ad abortum faciendum, remediis ullo modo eo adduci possint, ut fructum retineant et conservent. Si autem nobis persuasissum habemus, nullo modo foetum in utero posse retineri, atque elisionis symptomata continua progrediuntur, nostra intererit, et illam sublevare faciliöremque reddere, et temporis spatium, quoad fieri possit, contrahere et casus perniciosos, qui accedere soleant, e medio tollere. Quibus rebus effectis, therapia eo petet, ut praecaveamus, ne morbi, qui abortum soleant persequi, exoriantur. Primum igitur, si inclinatio abortum faciendi feminae inest, nihil aliud therapia aget quam ut aegrotae corporis tuendi caussa in vita cultuque, quae par est, continentiam observent; facile enim est intellectu, si quis ad abortus caussas explorandas propius accedit, inprimis aegrotis esse praedicendum, ne supra vires se extendant. Necesse enim est, ut omnes virium intentiones graviores, corporis concussiones, quaecunque nociturae vide-

antur, animae perturbationes declinentur. Pariter, si omnino valetudo gravidae debilitata est, eo erit petendum ut, diaeta rebus praesentibus accomodata, feminae vires exhaustae restituantur, quare feminis, quae debili constitutione utuntur, necesse est, ut nutrimenta bona adducantur. Feminas, quae jam antea ex morbis totum per corpus se extendentibus laboraverint, per graviditatis tempus cura diligentiaque eximia esse curandas, satis elucet. Qua in re haud parvi momenti videtur esse, ut si de feminis quaestio exsistit, quae jam antea semel saepiusve abortum fecerint, ad caussas symptomataque abortuum priorum accurate respiciamus. Maxime igitur placet, ut, si tempus, quo antea abortum fecerint, appropinquare sentiunt, quam maxime possint, aegrotae quiete se habeant atque, si fieri potest, totum per graviditatis illud momentum in statu quiescendi perseverent. Itaque cavendum est, ne gravida lectum relinquat, ut quaecunque corporis motu adduci possunt, damna, facilius propulsentur.

Si aegrae constitutione plethorica utuntur congestionesque ad uterum se praebent, potiones acido quodam commixtae optime adhibentur, ut Acid. citr. vel Acid. sulphur. dilut. vel Elix. acid. Hall. vel Tart. depurat. Quod ad periculum propulsandum, venae sectiones quae antea usitatae erant, nunc quum parum utiles sint intellectae, vulgo negliguntur; atque ad dolores qui in regione sacrali exoriuntur, deliniendos atque sublevandos cucurbitae applicatae optimum eventum praebent, quibus minus detractionem sanguinis efficere quam potius incitamenta comparare tentamus. Concurbitis enim applicatis abortum imminentem, si praecursores tantum signaque prima apparuerunt, nullo modo ad abortum faciendum vel accelerandum conferimus. Profusionibus in lucem emissis, haud necessarium est, ut semper confertim abortus sequatur, quum, si aegrota situm horizontalem conservat animaeque omnes perturbationes evitat, exploratum habeamus, foetum, etiamsi contractiones jam sint effectae, et retineri et ad maturitatem adduci posse.

Per primos graviditatis menses profusiones facile coërcentur, si potiones frigidiores et mitigantes gravidae offeruntur cibique omnes, quibus vasa forte excitantur, ab aegrota propulsantur. In primis cavendum est, ne gravidae potiones nimis incitantes, ut vinum, cerivisiam, alia recipiant. Si igitur plene perspicueque intellectum est, uteri contractiones non esse idiopathicas sed incitamentis reflectoricis musculaturae effectas, id quod exempli gratia in doloribus colicis entericis vel in spinae medullaris affectionibus in regione sacrali, vel aliis in casibus observatur, saepe illas e medio tollere poterimus, postquam antea caussas supra descriptas sustulerimus.

Sic in cholica interica Opii doses exiguae, in doloribus a tergo concurbitae vel liniment. volat. apte adhibentur; in doloribus, qui in uteri annexis exoriuntur, remedia narcotica ut in rectum injiciantur haud raro placet, ita ut unam ad injectionem Tct. Opii simpl. gtt. 20—30 consumantur, neque minus injectiones subcutaneae in regionem hypogastricam illatae usu recepta sunt. Si vero cum contractionibus una sanguinis profusiones justo majores exsistunt, quibus aegrotae in vitae periculum videntur adduci, ut ad remedia fortiora confugiamus, plerumque cogemur. Quibus in remediis externis lanae compressae particulas, spongias, alia similia, quae voce »tampon« complectimur, quaeque in vaginam injiciuntur atque ad uteri orificium propelluntur, commemoramus; in internis vero locum primum habent acida mineralia, substantiis narcoticis commixtis, quae intervallibus brevioribus praetermissis, continua offerantur. Praeterea, ut incitationi vasorum ac nervorum vehementiori remedia idonea ac comprobata opponantur, necesse esse satis per se constat. Quamvis saepissime videatur desperandum, ovulum modo descripto in utero retineri atque conservari posse, attamen, omnia medicamina, quae ad contractiones sanguinisque profusiones sanandas spectant, ut experiamur et adducamus, necesse erit, quia, qualiacunque sunt, nihil damni, sed haud raro illis multum commodi aegrotis comparari potest. —

Si vero res quaedam mechanicae impetum vehementem atque vim perniciosam exercuerint, medicamina, quae ad ovulum retinendum adhibere soleamus, fere infirma se praebebunt neque quidquam efficient. Nam, quamvis tentemus, hyperaemiam uteri sanguinis detractionibus, compressis frigidis regioni hypogastricae applicatis, aliis retinere, tamen mox iterum, quia uteri contractiones accedunt, ab remediis illis abstinebimus, quum illa uteri musculos per reflexum magis irritent ideoque eo celerius, ut ovulum elidatur, efficiant. Itaque, quia jam uteri elisio procedit, datum nobis erit, medicaminibus illam accelerare atque, quominus in utero residua remaneant, impedire. Ex remediis internis haud dubie Sec. corn. maxime est commendandum, quod in dosibus gr. X sive Inf. sive Pulv. tam diu continuo horae dimidiatae parte quaque intermissa aegrae offeratur, donec uteri contractiones ad summum sint adauctae. Praeter Sec. cornut. Tct. Cinnamom. et Borax usu sunt recepta. Quae medicamenta, ut eo fortuis vim suam propriam exerceant, maxime placet, ut incitamenta in abdominis tegimina, sive frictione sive lavatione humoribus spirituosis effecta, adhibeantur. Ut quam celerrime fructus elisionem adducamus — id quod indicatum et valde necessarium est, profusionibus copiosis exortis — observatione cognitum habemus, elisionem vel extractionem foetus, auxilio manuali effectam tutissime esse evasuram. Neque qui illam ad operationem accedunt, exspectant atque operiuntur, donec medicaminibus supra descriptis orificium et cervix uteri satis sint extensa atque ditata, sed potius per artem nobis viam patefaciemus, sive laminis compressis inductis sive inscisionibus cervici illatis. Tum aqua in uteri cavum inspergitur, et quo usque fieri potest, digitis explorantibus in uterum intrare tentamus, ut illis forte foetum extrahamus; si vero digiti ad rem propositam non sufficiunt, forcipe quadam utimur, ut illa firmius forte amplectamur foetum illumque forticipis nostrae tractionibus ac versionibus in lucem emittamus.

— Ovulo ita remoto aut sanguinis profusio consistit aut valde diminuitur; per tempus illud inprimis necessarium videtur, ut aegrota, quam maxime fieri potest, quiete inlecto se habeat, ne uterus, regressurus ad formas speciemque solitam, retineatur vel impediatur. Pariter posteriores per graviditatis menses, quum placenta jam satis exculta superficie sua haud exigua utero admoveatur, unum illud observandum erit, ut foetu remoto. ipsa placenta removeatur. Quae curatio eo probabilior nobis occurrit, quod illa non solum sanguinis profusio, quam celerrime coërcetur et retinetur, sed etiam periculum illud gravissimum, ne residua quaedam remaneant, depulsatur. Sed quamvis explorationes accuratissime sint institutae, interdum fit, ut residua quaedam abscondita remaneant iterumque, ut sanguis defluat, efficiant. Qua in caussa casuque necesse datum videtur, ut ne vi quidem atque impetu abhorreamus, ut nobis introitum in uterum palefaciamus residuaque illa removeamus. Quare, si profusiones copiosae tam continuae, ut aegrotae vita in periculum adducatur, adsunt, remedium efficacissimum placet, quum cervix non satis sit aperta, vaginam ut re quadam obstruente concludamus. Quam ad rem efficiendam maxime placet, ut spongiae, Aceto, vel Alumine vel Liq. Jerr. sesquichlorat, aqua adducta tenuati, impletae, injiciantur; si casu fit, ut spongiae non sint ad manum, ad finem illum paniculi compressi et linteum discerptum, in globuli formam redacta (Tampon) induci possunt. Jamjam restat, ut foetu prospere edito, ad placentam remanentem ut quam celerrime possit, elidatur, respiciamus. Utrum illa jam ab interiore uteri pariete soluta sit an adhaereat, facile pro certo affirmari poterit, si tractu leniore funiculum movemus. Ut per se constat, tractus illi praecaute ut efficiantur, necesse est, ne funiculus umbilicalis, per tempus illud jam tenuis dirumpatur neve res gravissima ad situm positionemque placentae comprobandam data ex oculis nostris abeat. Interdum vero fit, ut in uterum digiti nostri intrare non possint; qua in

re ut per abdominis tegumina pressuram quandam vola manus ad fundum uteri exerceamus. Sed quum casus intercidant, ut modo illo descripto ex utero placenta removeri non possit et, quia minis sunt copiosae sanguinis profusiones, non diutius expectare debeamus, necesse est, ut ad curationem jam supra commemoratam, vi impetuque effectam transeamus. Atque etiam, licet casus obtingant, qui, quum sanguinis profusiones exiguae sint, non satis requirunt, ut placenta vi externa admota elidatur, semper valde placebit, ut, quam celerrime fieri possit, placenta removeatur. Nam, quamvis observatum habeamus, placentam, quae per menses hebdomadasque in utero remanserit, postea jam integram posse elidi, tamen pericula, quae facile exoriuntur, si in putredinem illa vertatur, caussam videntur praebere sufficientem, quae, ut placenta vi manuali extrahatur, nos cogant. — Denique quod ad curationem attinet, quae abortu satis prospere confecto adhibetur, necesse obvenit, ut inprimis eo petamus, ut faninae tunc temporis quiete se habeant omnesque et animae et corporis irritationes evitent. Id quod ea de caussa valde necessarium videtur esse, quod, quae abortu prospere defunctae sint, feminae, haud raro rem periculosam levissimam habent neque in diaeta neque in vivendi cultu necessario leges omnes observare solent, quas libenter sequerentur, si partus editio modo justo atque usitato processisset. Nam quamquam febres puerperales rariores exsistunt, tamen haud negandum erit, omnes morbi illius species caussasque accedere posse atque mortem adducere solere. Itaque, quae qualesque sunt res circumstantes, semper necesse esse videtur, ut gravidae per longius temporis spatium in lecto retineantur et curationi, si fieri potest, diligentiori tradantur, quam quae justo tempore condicionibusque sub usitatis fructum ediderint, requirere possunt. Nam res circumstantes atque consecutiones, quae abortum non satis curatum excipiunt, tot tantaeque conspiciuntur, ut necesse fiat, gravidis iterum atque iterum, quanta ipsae sibi parent mala chronica, exponere. Statum illum debilem, qui vulgo abortum assequi

solet, et diaeta cultuque vivendi, quae paria sunt, et quiete animae corporisque aegrotae praescriptae, in melius vertemus, atque omnibus ab remediis, in quibus potissimum Chinae praeparata usu recepta commemoremus, plerumque abstinebimus. Primum necesse esse videtur, ut genitalia et interna et externa, quoad fieri potest, expurgentur, expurgata integra conserventur. Qua in caussa maxime placet, ut aqua satis calida in vaginam injiciatur atque, si profusiones restant, quae foetidum emittunt odorem, Calcar. hypochlor. solut. adhibeatur. Si experti scimus, inclinationem quandam abortum faciendi feminae inesse, res erit permagni momenti. ut talem adhibeamus curationem, qualis ad ipsam insequentem conceptionem spectat. Itaque gravidae valetudine optime consulimus ac prospicimus, si, quoad licitum est, ab aegrota petamus, ut, donec organa rursus statum in pristinum et naturalem sint reducta, neque ulla res, quae quasi impellere videatur ad abortum faciendum, praevalet. prorsus a coitu abstineat. Ut per se constat, morbis, quos experti scimus, abortum aut ad duxisse aut tempore insequenti inclinationem quandam fructum praematurum edendi, secum ferre, remedia usu recepta opponentur. Sic haud dubie necesse erit, ut, quae ex abortum faciendi inclinatione laborent, feminae, sive omnium nervorum in incitatione nimia sive in congestionibus justo largioribus ad genitalia illa contineatur, et cibi, qui nimis irritant et omnes occasiones, quibus aequo magis nervi incitantur, cura eximia denegemus. Si feminae adsunt, quae, debili sint constructione, inclinationem abortum faciendi potius ex atonia quadam musculorum uteri capiant, necesse est, ut atoniam illam sublevemus remediisque diminuamus, qua in re et diaeta satis nutriens et motiones in locis salubribus et, si fieri potest commoratio in balineis maritimis commendanda sunt. Neque minus ad eventum faustum ac secundum praeparata Ferri, in quibus maxime placet Ferr. Hydrog. seduct, adducere solent. Sed jam aliae caussae, ut experte scimus, intercidunt. Sic graviditates, alia aliam excipiens

aut puerperium minus diligenter cauteque praetermissum aut genitalium acta, justo prius effecta, quae vel in nuptiis praematuris vel in excessibus a pudore, quos facient feminae, positae esse solent, facile ad abortum adducunt. Qui casus, si obveniunt, necessitas obtingit, ut feminae prorsus a coitu abstineant, diaetam cultumque idoneum vivendi observent et loca salubria ad habitandum eligant. Si uteri morbi primam abortum faciendi caussam feminis praebuerunt, per se constat, illos inprimis e medio esse tollendos. Denique observatione cognitum habemus, inclinationem abortum faciendi haud raro in sanguinis discrasiis viri vel feminae posse positas esse. Quae mala, priusquam nova recensque graviditas coeundo adducatur necesse est tollantur. Potissimum in casu descripto ad syphilin spectamus, quam jam supra exposuimus, abortum habitualem adducere solere. Saepissime igitur fit, ut feminae quum compluribus abortibus vexatae liberos edere non possint, matrimonium infelicissimum se ducere profiteantur; qua in caussa medico syphili recte cognita remediisque idoneis adhibitis, felicitatis prioris matrimonii revocandae saepenumero occasio exoptatissima praebetur.

VITA.

Natus sum Gustav Adolph Max Wegehaupt die XXIV. m. Julii a. h. s. XLII., in Lusatiae superioris vico, cui nomen inditum est Geibsdorf, prope oppidum Lubanum sito, a patre Ferdinando, medico-chirurgo, matre Rosalia, e gente Geister, quos ut deus optimus maximus mihi per longam annorum seriem vivos salvosque habere velit, quotidie oro atque precor. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus, gymnasium Lubanense per octo annos frequentavi, quod directore Schwarz, viro Ill. mihique semper venerando florebat. Testimonio maturitatis academicae ornatus a. h. s. LXII hanc almam litterarum universitatem Viadrinam petii et ab Ill. Semisch illo tempore fasces tenente academicos, numero civium academicorum adscriptus, apud Middeldorpf, t. t. gratiosi medicorum ordinis decanum maxime spectabilem, rite professus sum.

Per quadriennium viros Illustrissimos disserentes audivi: Aubert, Barkow, Betschler, Cohn, Foerster, Frankenheim, Freund, Grosser, Grube, Haeser, Haidenhain, Klopsch, Lebert, Loewig, Middeldorpf, Spiegelberg.

In exercitationibus anatomicis Ill. Barkow, in exercitationibus microscopicis Ill. Haidenhain, in clinico et policlinico obstetricio Ill. Betschler beatus et Spiegelberg Ill., in clinico et policlinico chirurgico ophtalmiatrico Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert duces mihi fuerunt benevolentissimi atque excellentissimi.

In exercitationibus clinicis et policlinicis benignissime me adjuverunt viri experientissimi DDr. Caro, Freund, Fuhrmann, Jaensch, Harpek, Humelet, Reinhard, Schiffer, Sommerbrodt, Wyss. Quibus omnibus viris summe venerandis optime de me meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Tentaminibus et physico et medico nec non examine rigoroso superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1) Partus praematurus optime per catheterem in cavum uteri injectum efficitur.

2) Vulnerum perinaei per partum effectorum margines filis argenteis optime conjunguntur.

3) In vulneribus purulentis unguenta minus apte adhibenda esse, contendo.